

Dissertatio Juridica 2241
Ad L. Emptorem 9. Cod. de loc.
& Cond.

COMMUNEM
EJUSDEM LEGIS INTER-
PRETATIONEM ET HINC
ENATUM ILLUD VULGARE:

Kauff gehet vor Kiethe /
refellens:

Quam
DEO VOLENTE,
Præside
Viro amplissimo ac consultissimo

DN. HERMANNO Soll/

Jcto & Pandectarum Professore in hac Illustri
Academiâ celeberrimo,

Patruo, Hospite ac Præceptore suo venerando.

Publicè defendendam suscipit

PHILIPPUS ECKHARDUS

30LL/ Hombergâ Hasslus.

In Auditorio fctorum ad d. 30. Aprilis

Anno M DC LXXXVII.

RINTHELI, Typis G. Caspari Wächter/ A. Typ.

VIRIS
*Nobilissimis, Strenuo, Amplissimis
& Consultissimis*

DN. NICOLAO



Ad copias auxiliares Circuli Rhenani
superioris, in expeditione Hungaricâ contra
Turcas, deputato à Serenissimo nostro Cattorum Principe
Questori, jam Comitæ degenti. Parenti suo indulgen-
tissimo, omnique filiali honore & obsequio per-
petuum colendo.

DN. HERMANN O
ANDFELD,

J. U. L. in Dicasterio Ser^{mi} Hassorum Principis
Advocato Ordinario, & Senatori apud Cassellenses
gravissimo,

DN. JOH. CASPARO
MURHARDO,

J. U. D. & in Cassellensi Dicasterio Advo-
cato Ordinario.

Dominis Affinibus suis honoratissimis

Dissertationem hanc, studiorum juridicorum
specimen qua par est reverentia & hono-
re Dedicat

RESPONDENS.



I



I. N. D. N. J. C. A.

Thes. I.



Onstantis & unanimis est omnium quotquot hactenus nobis obvenierunt, Interpretum juris sententia: Emptorem aut alium singularem successorem non teneri stare locationi cum Venditore initæ, sed

Conductorem ante finitam locationem expelli posse, eique nullam vel actionem vel exceptionem, quâ se adversus Emptorem in conductione tueri possit, sed ratione sui intelle actionem ex Conducto adversus Venditorem duntaxat competere: Nisi cum Emptore expresse pactus sit, ut in Conductione maneat, aut in securitatem Contractū Locationis antē cum Venditore initi rem conductam sibi oppignorari curaverit, Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 24. ib. 27. Wesemb. paratitl. ff. loc. conduct. n. 15. ibique Hahn. in not. Treutl. vol. 2. Disp. 29. ib. s. & ibidem Bacchov. Brunnewein in l. 9. Cod. de loc. & Conduct. l. 25. l. 32. ff. eod. Carpzov. Jurispr. For. p. 2. const. 37. def. 4. Mæv. part. I. decis. 54. n. 1. & p. 5. decis.

A

339.



339. n. I. Vinn. in §. ult. de loc. & conduct. & Schneidevvin.
eod. loc. n. 3.

II. Quæ quidem sententia in Germaniâ passim
est pro certò & nullatenus dubio jure recepta
est & rerum judicatarum frequentia adeò innotuit, ut
etiam apud Vulgus in proverbium abierit: Rauff ges-
het vor Miethe. Struv. Carpzov. Schneidvv. dd. loc.
Coler. p. 1. decis. s. n. 16.

III. Verum enim verò, ut ut hæc ita se habeant,
nihilominus tamen illam sententiam ne
quidem de jure civili (nam de jure naturæ vix dubium
est) usque adeò liquidam & indubitatam existimamus,
sed potius contrarium: Scilicet Conductorem eo casu, quo
in possessione rei conductæ constitutus est, Emptori vel alii
singulari successori ante finitam locationem cedere non tene-
ri, sed Exceptione contractus etiam adversus ipsum Empto-
rem & similem successorem se defendere, & per vim expel-
lere consanti resistere posse: JuriCivili convenientius atbi-
tramur.

IV. Tralatitium enim est. Neminem posse
plus juris in alterum transferre quam ipse
habet l. nemo 54. ff. de reg. Iur. Nec aliquem melioris
conditionis esse debere, quam Auctor ejus à quo jus
in ipsum transit. l. 175. ff. eod. Unde Ulpianus absur-
dum esse dicit, plus juris habere eum cui legatus sit fun-
dus, quam heredem, aut ipsum testatorem si viveret. l.
160. §. 2. ff. eod.: Cum itaque Locator Conductorem
antè tempus locationis finitum expellere nequeat l. 60.
pr. ff. locat. l. 3. l. II. & l. 32. Cod. eod. Struv. Exercit. 24.
ib. 10. Nec Emptor, quippe cuius causa plerumque
eadem esse debet circa petendum ac defendendum
qua



quæ fuit Auctoris. l. 156. s. 2. ff. de Reg. sur. aut alias successor, utpote qui jure auctoris uti debet. l. 177. ff. eod. cundem expellere poterit.

V. *E*t queso, qui Locator nondum finitâ Locazione rem vendens hoc contractu tertio sc. Conductori præjudicare aut nocere potest? contra l. sape 63. ff. de re judicat. & tt. Cod. inter al. act. vel judic. al. non noc. Quomodo venditione rei, quam alias ex justo contractu ab ipso tenet, ejus jus interverttere potest? contra regulam in l. 11. ff. de Reg. Iur. Præsertim, cum disertè scribat Pomponius in l. 67. ff. de Contrah. empl. Alienatio cum sit, cùni causâ sua dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos eadem res mansisset. Quo locô nomine (*Causæ* non tantum fructus & accessiones, sed etiam omnia onera quæ rei cohærent (quò sinè dubio jus Coloni ante finitam locationem pertinet:) intelliguntur. *Gloss. Brunnem. & Dd. comm. ad h.l. ibique in not. Gothofred. lit. g.* Eoque casu, quo res alteri locata venditur, Venditorem vacuam possessionem Emptori tradere non teneri, evincat l. s. cum fundum 68. de contrah. Empt.

VI. *U*nde non videmus, quâ actione Emptor Conductorē cedere nolentem expellere possit. Nam rei vindicationem (quam forte intende- re conatur) quod attinet, illa in præsenti casu, ubi Venditor vacuam possessionem rei venditæ tradere ne- quirit, Emptori non comperit, siquidem Dominium rei venditæ non aliter transit in Emptorem, quam si ven- ditor rei venditæ vacuam possessionem tradiderit, per text: in l. 2. §. 1. ff. de Act. Empt. l. 8. Cod. eod. Vacua autem possessio hoc loco dicitur illa, quæ ab omni pos-

A 2

sc.



sessione non tantum propriè dictâ tali, sed etiam à quâlibet alterius nudâ detentione v. g. Commodatarii, Depositarii, Conductori &c. libera est : d. l. 2. §. 1. ibique Brunneman. Vesemb. tit. ff. de contrah. Enpt. n. 13, ibique Hahn. annot. Struv. Exerc. 23. th. 110.

VII. Et posito non concessio, dominium in Emptorem hoc casu transferri posse, ipsi tamen adversus Conductorem agenti non minus exceptio contractus Locationis & Conductionis cum Venditore initi obstabit, quam si ipse Venditor eum expellere conaretur Arg. l. 143. ff. de Reg. Jur. & l. apud Celsum 4. §. 27. ff. de dol. mal. & met. except. ubi expresse Ulpianus docet: Reiquidem cohærentem Exceptionem (qualis est Exceptio ex pacto aut contractu resultans l. Exceptiones 7. §. 1. ff. de Except. junct. l. 9. ff. de probat.) et iam Emptori nocere. Quod & interpretes Juris nostri agnoscunt, & ad quemvis singularem successorem extendunt. Brunneman in d. l. 4. ff. de dol. mal. & met. Except. Zanger de Except. p. 3. c. 26. n. 213. Bartol. in l. si quis renz ff. de Procur. Mæv. p. 4. decis. 295. n. 4.

IX. Præterea firmatur hæc nostra sententia non parum per l. Colonus 12. ff. de vi, & vi arm. ubi Marcellus eo casu, quo Colonus justam aut probabilem insistendi causam habet, eidem non tantum jus non admittendi Emptorem sed etiam si de facto ab eodem expulsus sit, Interdictum unde vi adversus eundem concedit, Venditori autem conquerenti se hoc ipso, quod Emptor non sit admissus vi expulsum videri denegat. Quæ autem justior, aut probabilior insistendi rei conductæ & Emptoris non admittendi causa esse potest, quam Conductoris, qui contra contractum aliquis



quis jus percipiendi fructus intervertere conatur? E. quidem Glossa in d. l. 12. & Dd. ibidem communiter hic à nobis abeunt, & verba illa, nisi fortè ob justam & probabilem causam id fecisset: ad alias diversas causas e.g. ad jam exsolutas pensiones, vel expensas in rem factas servandas, vel si ignorabat dominum vendidisse aut velle ut in possessionem admireretur Emptor &c. Restringunt, sed sine ulla juris necessitate & authoritate: Satius itaque est, si verba generaliter prolatæ etiam generaliter intelligamus & accipiamus, prout id notant & docent Dd. ex l. 8. ff. de publ. in rem act.

I X. ET cum hoc etiam convenit Papinianus in l. cum fundum is. pr. ff. eod. ubi colono etiam venditoris voluntate ab Emptore expulso interdictum unde vi adversus Emptorem concedit, mandatum hoc illicitum vocans, ideoque non juvandum Emptorem qui id suscepit, dicens. Ex quo iterum manifeste appareat, tantum abesse, ut Conductor expelli possit ab Emptore, ut etsi hoc faciat Venditoris mandato, restituere debeat possessionem Conductori. Nec est quod Gloss. Brunnemar & Dd. Commun. ad d. l. existiment, eo in casu Colonum causam possidendi mutasse & ex colono violentum possessorem esse factum, id coque ei non ut Colon sed ut injusto Possessori interdictum dari: Cum nemo sibi causam possessionis mutare possit l. 3. §. 19. l. 19. §. 1. ff. de acq. poss. l. 33. Cod. de loc. & cond. qui textus nominatim de Conductore agit, neque ullo modo injustus possessor dici potest, qui legitimam causam possidendi & quidem ab ipso Domino habet. Hoc quidem concedimus eo casu, quo contra voluntatem Domini Colonus expellitur, non Colo-



no, sed Domino (quippe qui tunc principaliter expul-
sus censetur) interdum competit. Eoque referimus
Ulpianum in l. i. s. 10. f. d. t. de vi & vi arm. Alia au-
tem est ratio, quando ipse Dominus vel Iesus jussu aut
voluntate alius Colonum contra fidem contractus ex-
pellere conatur. Tunc enim, ut ipsi adversus expel-
lentem succurratur, ipsa aquitas suggerit.

X. Atque ex his veritatem nostrae sententiae sa-
tis manifeste constare arbitramur. E con-
trario autem communis sententia, nostro quidem ju-
dicio, nullo evidenti & perspicuo juris textu, aut soli-
da quadam ratione nititur. Etenim quod attinet Re-
scriptum Alexandri Imperatoris in l. Emptorem 9. Cod.
de loc. & Cond. in quo palmarium fundamentum suæ
opinionis querunt interpretes, & cujus hæc sunt verba:
*Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior
Dominus locavit: nisi ea lege emit.* Verum si probetur ali-
quo pacto consensisse, ut in eadem conditione maneat: quam-
vis sine scripto bona fidei judicio ei quod placuit, parere ca-
getur. Ex eo non appareat, Imperatorem ibidem de
eo casu consultum fuisse aut rescriptisse, quo Condu-
ctor in possessione Fundi constitutus erat, & venditor
eum expellere conabatur antequam tempus locationis
esset finitum. Sed illud Rescriptum potius pertinet
ad eum casum, quo quis Fundum, quem antea cuidam
locaverat, antequam ipsi fundum tradat, alii vendidit,
eique simul tradidit, hoc enim modo Emptor istius fun-
di, quippe qui cum Conductore non contraxit, necesse
non habet eidem stare eumque in Colonum admittere.
Nisi Emptor ea lege cum Venditore inita emit, aut
probari possit Emptorem consensisse Colono, ut in ea-
dem



dem Conditione i. e. Contractu Locationis antea cum venditore inito maneat: his casibus Emptor ei quod placuit, parere cogetur.

XI. *S*uggerunt hanc interpretationem ipsa Re-scripti verba, utpote, quæ non generaliter de quovis colono, sed nominatim de eo, cùi prior Dominus locavit, nec de quovis Emptore, sed de eo tantum in quem à priori Domino & Locatore dominium est translatum, concepta sunt. Nam ex his verbis; *Cui PRIOR Dominus Locavit*: appetet Imperatorem sensisse de tali Emptore in quem dominium translatum est, alioquin dicere potuisset: *Cui venditor locavit*: Cùm itaque ex supradictis *ib. 6.* liqueat, venditorem eo casu, quo Conductor in possessione est, vacuam rei possessionem tradere & consequenter dominium in Emptorem transferre non posse, consequens est, ut hoc rescriptum de eo casu, quo Conductor in possessione constitutus intelligi non possit, sed in terminis nostræ sententiae explicari aut saltem eiusmodi interpretatio, quippe quæ regulis juris communis & rationis magis consentanea est, præ communi admitti possit ac debeat.

XII. *N*ec juvatur sententia Communis Responso Gajii in *l. si merces. 25. s. 1. ff. loc. cond.* Ubi Ictus ita scribit. *Qui fundum vel habitationem aliqui locavit, si aliqua ex causa fundum vel ades vendat, curare debeat ut apud Emptorem quoque eadem pactione & Colono frui & inquilino habitare liceat, alioquin prohibitus ager cum eo ex conducto.* Siquidem in proposita specie Gajus tantum consilium dat Locatori, quo pacto, si vendat rem alteri locatam, evitare possit actionem ex Conduto, si forsitan ab ipso Emptore in usu rei impediatur,

aut



aut ab eo id non præstetur quod ex lege Locationis Conductori præstandum: e. g. si vicino ædificante obseruantur lumina cœnaculi, vel si ostia vel fenestræ nimium corrupta, non restituantur, ut ipse Gajus in d. l. 25. §. 2. id declarat, & pluribus exemplis illustratur in l. 15. l. 19 & aliis similibus ff. eodem. Nam etsi Emptoris culpâ impediatur conductor re conducta frui. Emptor tamen exinde Conductor nullam actionem tenet, sed tantum locator cum quo contraxit. Ut itaque constrin-gatur Emptor ad id, ut eadem pactione & eo modo quo inter Locatorem & Conductorem convenit; Condu-torem frui patiatur, eique præstet id quod ex lege Lo-cationis ipsi præstari convenit, consultum est Locatori cum Emptore eo nomine pacisci. Alia autem est qua-stio, utrum Conductor invitus Emptori cedere teneatur nec illi prohibenti aut expellere conanti resistere possit. Aut an illi de facto prohibito aut expulso nullum aliud remedium quam sola actio contra Locatorem compe-tat? de quo hoc in loco Gajus nihil definit.

XIII. Similiter parum præsidii invenit commu-nis illa Interpretum conclusio in l. qui fun-dum. 32. ff. loc. cond. Ubi Julianus scribit. Qui fundum colendum in plures annos locaverat, decessit & eum fundum legavit. Cassius negavit, posse cogi Colonum ut fundum cole-ret, quia nihil hæredis interesset, quod si Colonus vellet cole-re & ab eo cui legatus esset fundus prohiberetur, cum hærede actionem Colonum habere &c. Quoniam textus ille, uti id manifeste evincunt ejus ultima verba: Et hoc detrimen-tum ad hæredem pertinere, sicuti si quis rem, quam vendidis-set, nec dum tradidisset, alii legasset, hæres ejus Emptori & Legatario esset obligatus, de eo casu agit, quo defunctus qui.

quidem in plures annos fundum locaverat, antequam autem Colono traderet, alteri legavit & decepit, hoc enim in casu Legatarius, quippe in quem statim à morte testatoris ejus fundi dominium transit l. 64. ff. de furt. l. 80 ff. de leg. 2. Colonum, qui nullum jus neque in fundo, neque in personam Legatarii habet rectè prohibere potest ne fundum colat. Alia autem est ratio in Colono qui actu fundum detinet, in quo meritò obtinet illud vulgatum.

Turpius ejicitur quam non admittitur hospes.

XIV. Porro nihil pro communi sententia facit, aut nostræ officit l. 120. s. 1. ff. de leg. 1. Ubi Ulpianus respondet, *Fructus ex fundo purè Legato post aditam hereditatem à Legatario perceptos ad ipsum pertinere: Colonum autem cum herede ex conducto habere actionem.* Nam quod ibidem ait JCtus: *Fructus perceptos ad Legatarium pertinere: non cō pertinet, quasi legatario in fundum alteri locatum irruere & fructus rapere licet,* cum illicitum hoc esse ex supra deductis appareat, & idem Ulpianus eo casu Conductoris actionem injuriarum l. 5. pr. & s. 2. & 4. ff. de injur. & famos. lib. & l. 13. s. 7. ff. eod. imo ei qui publicè conduxit, remedium Extraordinarium, scilicet interdictum speciale de loco publico siuendo concedat: d. l. 13. s. 7. ff. de inj. & l. 1. pr. & s. 1. ff. de loc. publ. fruend. Sed agit de casu, quo Legatarius sine vi fructus perceperat & de dominio & restitutione illorum quæstio movebatur: Quò rectè respondet, fructus ejusmodi perceptos non ad Colonum (quippe qui dominium fructuum non aliter acquirit, quam si ipse aut a-

B

lius



Iius ejus nomine perciperit l. 60. s. 5. ff. loc. Cond. l. 6 I.
s. 3. ff. de furt. s. is. vero 36. Inst. de rer. divi. ibique Vinn.
in Comment. n. 4.) sed ad Legatarium, ad quem fundi
proprietas & fructus post ad itam hæreditatem alioquin
spectant l. 7. s. 5. ff. de dol. mal. l. 44. s. i. l. 86. s. 2. de leg.
l. Struv. Exerc. 35. th. 20. pertinere, & Colono hoc casu
nullam actionem neque furti, quia rei suæ furtum pro-
priè dictum nemo facit. Paul. 2. sent. 21. Vinn. in s. 10. Inst.
de Obl. quæ ex del. nasc. neque rei vindicationem aut con-
ditionem furtivam, utpote quæ soli domino competit.
l. 23. l. 41. ff. de rei. Vind. l. 25. ff. de O. & A. l. 1. ff. de Cond.
furt. l. 14. s. 16. ff. de furt. adversus legatarium compete-
re, sed eum ex Conducto tantum adversus hæredem ha-
bere actionem. Vel dicendum in d. l. 120. agi de casu,
quo hæres post mortem testatoris, ex quo tempore do-
minum rei putè legatæ jam dum in Legatarium transie-
rat, rem legatam locaverat. Hæc enim locatio Lega-
tario ut domino non præjudicat, sed is nihilominus fun-
dum cum fructibus evincere potest l. 9. pr. ff. loc. cond.
quomodo & illum textum accipere videtur Struv. Ex-
erc. 24. th. 27.

XV. Illud autem hoc non pertinet, quod Pau-
lus libro 3. Sententiarum relatus in l. arbo-
res. 59. s. i. ff. de usufr. respondet. *Quicquid in fundo na-*
scitur, vel quicquid inde percipitur ad fructuarium pertinet:
Pensiones quoque jam ante locatorum agrorum, si ipse quo-
que specialiter comprehensa sunt. Sed ad Exemplum Vend-
itionis, nisi fuerint exceptæ, potest usufructuarius Conducto-
rem expellere. Nam Paulus, cuius responsa ut plurimum
concisa & obscura sunt, vid. l. 17. ff. de Inoff. test. l. 40. ff.
dæ



de reb. cred. ibidem nihil aliud vult, quam hoc: scilicet: Usufructuatio omnem redditum deberi, adeoque etiam pensiones Conductorum, non quidem antea debitas, quam usum fructum est consecutus, nisi specialiter in testamento aut contractu comprehensa sint, sed eas, quas stante usufructu Colonus debet. Has itaque, nisi specialiter in testamento vel contractu fuerint exceptae, Conductorem Usufructuatio prestare debere, alioquin expelli posse, ad exemplum ejus, qui fundum alteri locatum emit, quippe qui eo casu, quo Conductor pensionem non solvit, æque ac Venditor jus cum expellendi habet. arg. l. 67. ibique Brunneman & Dd. comm. ff. de Contrab. Empl. & hoc modo illum textum intelligit & interpretatur idem Brunneman in Comment. ad ff. in d. l. 59.

XVI. ET quamvis (quod ulterius urgunt Doctorates) nullum jus in re habeat Conductor, sed ipsi tantum ex contractu actio in personam adversus Locatorem ejusque heredem competit. l. 3. pr. & l. 25. pr. ff. de O. & A. adeoque singularem successorem nulla actione convenire possit, neque hic Conductoris actioni de facto intentata stare teneatur (uti hoc modo bene explicari possunt verba Rescripti in l. 9. Cod. de loc. & Cond.) non tamen ex eo recte inferitur, Emptorem aut alium singularem successorem, Conductorem in possessione rei constitutum expellere, neque hunc ulla exceptione se defendere posse. Fere enim nihil frequenter in jure nostro occurrit, quam ut is, qui alicujus rem detinet, et si nullam aliâs actionem habeat adversus peccantem, eum tamen exceptione dolii mali eosque repellere possit, donec ipsi satisfactum sit. vid. l. 30. 32.



33. & 34. Inst. de rer. div. & Joh. Petr. Malignat. qui integrum tractatum de hoc retentionis jure conscripsit. Idemque retentionis jus Interpretes juris nominatum concedunt. Conductor eo in casu, quo pensionem jam solvit. Struv. Exec. 24. th. Coler. de proc. execus. c. I. n. 240. & seqq. Quidnî igitur & exceptio doli mali Conductor competet adversus Emptorem aut similem successorem singularem, qui contra naturam contractus & æquitatem ante tempus Locationis finitum eum expellere conatur? Præsertim si successor ille singularis causam habeat ab ipso Antecessore uti Emptor a Venditore. Sanè iuri civili ejusmodi successorem easdem exceptiones, quæ contra Antecessorem competit, aduersus se admittente teneri jam supra ex l. 4. §. 27. ff. de dol. mal. & met. except. junct. l. 143. l. 156. §. 2. l. 160. §. 2. l. 175. §. 1. ff. de Reg. Jur. probatum est, nec de eo dubitari amplius posse credimus.

XVII. E Contrario autem is, qui nullam ab antecessore causam habet, regulariter recte evincit fundum quem possessor alteri locaverat, eoque pertinet casus in l. si filio familiâs. 25. §. ult. ff. solut. matrimon. quo maritus fundum dotalem in quinquenium legaverat, matrimonium autem post primum annum solutum erat, cum enim soluto matrimonio dominium rerum dotalium ad uxorem ipso jure redeat. l. 30. Cod. de jure dot. recte Sabinus ibidem à Paulo relatus ait, fundum mulieri reddi oportere. Resoluto enim iuris dantis, resolvitur & jus accipientis, arg. l. 31 ff. de pign. & hypoth. ibique Dd. Comm. Diximus regulariter: Aliquando enim æquitas à regula recedere jubet, exemplum

cf.



est in l. 8. s. 1. ff. de reb. auth. judic. possid. Ubi Ulpianus scribit, creditorem in possessionem rerum debitoris missum servare tenere locationem à debitore antea bona fide factam. Cum enim hoc casu, ubi ex necessitate res debitoris venditur, Conductor de evictione Locatorem convenire non possit, durum & iniquum foret, eum è Conductione expellere. Bartol. Gloss. & Dd. comm. ad d. l. Mantica d. tac. & ambig. conv. lib. 5. t. 10. n. 10. & 27. Carpzov. sape cit. p. 2. const. 37. def. 4. Struv. Exerc. 24. th. 27.

XVIII. Sed instet aliquis & dicat, nihil interesse Conductoris eis Emptori cedat, cum venditor ipsi teneatur de omni, eo quod ejus interesse non esse servatum contractum. Respondemus, & hoc modo Emptoris nihil interesse, cum ejus nomine Venditorem ex contractu codem modo devinctum habeat, in pari autem causa potiorem esse possessorem l. 8. ff. de Condict. ob turp. Caus. Imò Conductor qui in possessione constitutus est, sine dubio majus jus habet quam nudus Emptor cui res nondum estradita arg. l. 15. Cod. de rei vind. Invitus igitur cedere non tenetur, et si à Venditore vel Emptore id quod interesse offeratur, nec enim interesse in hanc conventionem venit, sed ut Locator per tempus definitum Conductorem frui patiatur, aliud autem pro alio invito creditori in solutum obrudi nequit l. 2. s. 1. ibique Brunneman & Dd. comm. ff. de reb. cred. Quod & Struvi: D. Exerc. 24. Carpzov. p. 2. const. 37. def. 4. & Dd. communiter teste Fachin. lib. 7. contr. jur. c. 88. in illis casibus, quibus Conductorem cedere non teneri putant, agnoscunt. Nec obstat, quod pati aliquem uti fruire con-



ductâ videatur esse factum. Ad factum autem præcisè præstandum nemo cogi posse, sed præstanto id quod interest liberari. l. 13. s. 1. ff. de re judic. l. 72. pr. ff. de V. O. ibique Dd. eomm. Nam hoc intelligendum est de simpli- cibus & nudis factis quæ hominis operam & membrorum corporis desiderant, qualia sunt; Romam ire, tabulam pin- gere, fossam fodere &c. Vinn. in s. ult. Inst. de V.O. n. 3. & in pr. Inst. de Empt. & Vend. n. 7. & Dd. Comm. in d. l. 13. & 72. Hic autem nullum factum sed nuda patientia à Locato- re desideratur.

XIX. NEque hoc pacto ulla injuria vel Emptori vel Venditori infertur, utpote qui sibi im- putare debent, quod de re alteri locatâ, adeoque quo- dammodo alienâ, scienter contraxerint, nec Conducto- ris consensum & voluntatem, utrum cessurus sit nec ne?an- te exploraverint sibique conciliaverint, quod tamen fie- ri debere naturalis ratio satis dictitat. Unde si ex eo quod Conductor postea cedere nolit, damnum incurvant, sibi non Conductor imputare debent: l. 202. ff. de reg. jur. c. damnum 86. cod. in 6. & qui jure suo uritur nemini fa- cit injuriam l. 13. s. 1. ff. de injur. E contrario iniquum est, ob Locatoris factum Conductorem difficillimæ probationi ejus quod interest adstringi & simul periculo involvi, ne istud justò minoris æstimetur & ad exiguum summam de- duatur, quod plerunque fieri testatur Venulejus in l. ult. ff. de stip. præ.

XX. PRæterea non videmus, quo pacto stante communis sententia unquam valide contra- here possit Conductor. Cum enim nullus Emptor, se- cundum communem interpretationem legis. 9. C. de loc. & Cond.



Cond. stare teneatur Conductor, pactio ejus, ut in eâdem conductione maneat cum primo Emptore inita non præjudicabit Secundo aut Tertio. Neque etiam eo modo, quo Conductor pro observatione contractus rem conductam sibi oppignerari curaverit, satis prospectum ipsi est, si legum rationes magis quam communis opinionis autoritas attendantur. Nam hypotheca illa, sive generalis sive specialis, tantum constituitur ad firmitatem contractus, dissoluto itaque contractu per venditionem rei locatæ (prout Dd. existimant ideoque inter modos simendi Locationem referunt; si res Locata vendatur. *Treutler. vol. 1. D. 29. th. 8. Fachina. Controv. Jur. lib. 1. c. 88.*) & ipsum pignus, tanquam necessarium dissolvi necesse est. *arg. l. 178. ff. de Reg. Jur. l. accessorium eod. in 6. Perez. in Cod. tit. de Loc. & Cond. n. 34.* ac proinde nihil amplius operari potest hypothecæ constitutio, quam ut expellere conans Emptor aut Venditor, Conductor priùs offerre cogatur id quod interest, quo oblato Conductor cedere tenetur, ptout etiam concludunt *Covarruv. lib. 2. Var. resol. c. 15. n. 5. Neguzant. de pignor. part. 2. memb. 1. n. 6.* qui hanc conclusionem communem esse ibidem testatur, quamvis ab ea cum aliis recedat *Struv. Exerc. 24. th. 27.* Imo posito eo, quod venditione rei Locata finiatur Locatio, necessario sequitur Conductorem ne quidem ad interesse agere posse adversus Locatorem, quam tamen sententiam, ut à juris & æquitatis ratione alienam, rectè rejicit & refutat *Carpzov. s̄ap. cit. p. 2. Const. 37. def. 7. Berlich. pract. com. p. 2. concl. 45. n. 14.*

XXI. In lumma Communis sententia ubique in iuris rationem non parum impingit. Unde etiam Legem illam *9. Cod. de Loc. & Cond.* (vel potius ejus, communem interpretationem) in Hollandiæ & plerisque

Belli.



Belgii locis abrogatam, usuq; vulgi contrarium ibidem receptum esse dictum *Huir gaet voor Koop testantur Grænewegen de LL. abrog. in d. L. 9. n. 4. Gadelin de jure noviss. lib. 7. c. 3. Vinn. in s. ult. Inst. de Loc. & Cond. &c alii ab his allegati.* Recte omnino: Quid enim magis congruit fidei humanæ quam ea quæ inter contrahentes placuerunt servare? l. i. pr. ff. de pact. contrâ, quid gravius quam fidem contractus fallere? l. i. ff. de const. pecun.

XXII. *L*ocum autem habere hanc sententiam in quovis Conductore, adeoq; etiam in Conductore ædium seu inquilino non dubitamus. Nam neq; hunc expellendi justam causam esse, si ædes vendantur, vel ex ipsa l. Æde 3 Cod. de Loc. & Cond. liquet. Et quamvis domino ædium & Locatori ibidem inter alia his casibus: scilicet, si propriis usibus eam necessariam esse Dominus probaverit, aut domum corrigere maluerit &c. jus expellendi Conductorem concedatur, tamen cum constitutio illa nominatim de persona Locatoris loquatur, adeoq; privilegium sit personale, personam Locatoris non egreditur, & consequenter ad aliū singularem successorem extendine nequit s. 6. Inst. de jur. nat. Gent. & Civ. l. 14. ff. de LL. l. 196. ff. de Reg. Jur. Accedit, quod ad id, ut Locator ex hac causa, quia propriis usibus domum necessariam dicit, Inquinum expellere possit, requiratur, ut illa necessitas non adfuerit tempore Contractus, sed postea inopinatò supervenerit. Brunneman. & Dd. comm. in d. l. Æde. Molina de just. & jur. Disp. 499. n. 9. Trentacing. lib. 3. var. resol. tit. de Loc. & Cond. resol. 4. n. 4. Carpz. p. 2. Const. 37. def. 6. Multo minus itaq; cedere tenetur Inquelinus Emptori, qui domum sciens alte i Locatam habitationis causa emit. Atque hic in praesentia subsistimus dicentes.

SOLI DEO GLORIA.



COROLLARIA.

I.

Exceptio Compensatio-
nis modo initio opposi-
ta & liquida sit, aut inconti-
nenti liquidari possit, etiam
in deposito habet locum.

II. Venditor, cui Evictio est re-
missa, re evictâ nequidem
ad pretii restitutionem te-
netur.

III. Emptor judicis mandato
solvere prohibitus, penden-
te mandato ad usuras non
tenetur, et si pretium non
deposuerit.

C

Bar-

Bartolus & Baldus nobis vene-
randus uterque,
Quod magis est justum prævalet
usque tamen.

PRÆSES.

EGregium specimen ZOLLI, vestigia
ZOLLI

Præsidis egregii quæ premis esse patet;
Pergito sic magnis insistere gressibus istis
Ausibus & tantis premia digna feres.

Hilce perecumum Dn. Respondentem,
Magni Jcti Zollii ipsius Patrui æmu-
lum acclamare voluit.

HE NR. BODINVS,
Dr. & Inst. Prof. Ord.

Vendor Empori plus juris quod dare possit
Quam ipse habeat, vulgo per fora cuncta strepit
Hec tamen innato est paxis contraria juri,
(Quid negat ut quisquam queis caret, illa daret:)
Quem si confutas morem, doctissime ZOLLI
Zolliadum claro nomine dignus eris.

Paucula hæc præstantissimo Dno ZOLIO
gratulabundus accinuit

Constantinus Nüslerus,
Philos. & J. U. D. & Prof. Ordinar.



Fama perpetuâ volens beari,
Hoc linquit gremium soli lutoſum,
Nec non æthera poſſe ſe tenere
Confidit: nihiſi facit labores ,
In rorem licet oſſa cuncta manent.
Quid, quid ZOLLIUS? iſ polumque cal-
cat,
Doctam ſcribere Disputationem
Non hærens. Celebramus hinc proban-
dos
Hos ausus, damus atque ſerta lauri.

Hicce Nobilissimo atque Doctissimo Do-
mino ZOLLIO de edito ſpecimine
gratulari voluere. Domini D, BO-
DINI.

Commenſales.



ZOLLIUS Agnato, dixit, tu ſolve tri-
butum
Ut videam ſtudiis te incubuiſſe tuis:
Dixerat, & promptâ conſenſit mente, tributum
Non alio, quam te Praefide præco dabo:
Rin-



Rinthelis applaudit gaudet præcone cathedra
Dum simul hic certant Patruus atque Nepos.

Hæc testandæ amicitia gratiâ sub-
jungere voluit debuit

Philippus Henr. Bothius,

p. i. Convict. VVilhelmiani MAJOR.

Als Miet - und Raussen sey/
und welches vorzuziehen
Das zeigt her ZOLL sehr schön in vor-
gesetzten Riehen/
Darauß zur gnüg erheilt wie Er die
Weisheit liebt/
Und der Gerechtigkeit sein ganzes
Thun ergiebt.
Er miet nun auch zu Dienst was
Ihm beliebt zu haben/
Ehr/ Reichthum/ Lust und Freud/ und
was dergleichen Gaben.

Ich



Ich wünsche daß sein Haupt bald krön
der Purpur pracht/
Als der mit recht zu Lohn Ihm vor den
Fleiß wird bracht.


Mit diesem hat seine schuldige Ob-
servantz abstatten wollen

Joh. Mr. Stieber /
LL. Stud.

Gen Zoll gibt man gar gern/
wenn man viel Waren führet/
So zahlet auch Herr GLE den
Zoll / wie sichs gebühret
Von seiner Weisheits - Last.
Drum man Ihm wünschen soll/
Apollo gebe Ihm den wolverdien-
ten Zoll.

Diesen Zoll hat seinem wertesten Freunde schul-
digst erlegen sollen

GEORG WIEDERHOLD /
Mündā Hannoveranus LL.Sc.
F I N I S.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537446-p0027-8

DFG



ULB Halle
003 598 519

3



Sb

VDA






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537446-p0030-5

DFG

Farbkarte #13



Dissertatio Juridica 2241
Ad L. Emptorem 9. Cod. de loc.
& Cond. 06874
COMMUNEM
EJUSDEM LEGIS INTER- 16
PRETATIONEM ET HINC
ENATUM ILLUD VULGARE:
Gauß gehet vor Miethe /
refellens:
QUAM
DEO VOLENTE,
PRAESIDE
VIRO AMPLISSIMO AC CONSULTISSIMO
DN. HERMANNO Soll,
JCto & Pandectarum Professore in hac Illustri
Academiâ celeberrimo,
Patruo, Hospite ac Preceptore suo venerando.
Publicè defendendam suscipit
PHILIPPUS ECKHARDUS
30££/ Hombergâ Hassus.
In Auditorio fctorum ad d. 30. Aprilis
Anno M DC LXXXVII.
RINTHELII, Typis G. Caspari Mâchter/ A. Typ.